

5
12

DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
ANTICHRESI
QUAM
SUB AUSPICIIS DIVINIS
*IN ALMA ARGENTORATENSIUM
UNIVERSITATE*
EX CONCESSIONE
INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME
CAPESSENDI
SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ
SUBMITTET
DIE I. JULII MDCCXLI.
H. L. Q. C.
AUCTOR
JOH. CAROLUS WEYLAND
HANOVIENSIS.

ARGENTORATI, TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII,
HASSO-HANOICO-LICHTENBERGENSIS TYPOGRAPHI.

THE HISTORY OF THE
CITY OF LONDON
FROM THE FOUNDATION
TO THE PRESENT
BY JOHN STOW
IN TWO VOLUMES
THE SECOND
LONDON
PRINTED BY J. STURTEVANT
AT THE SIGN OF THE SHIELD
IN ST. PAULS CHURCH-YARD
1687

VIRIS

ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS,

INCLYTÆ LIBERÆ S. R. I.
REIPUBLICÆ

FRANCOFURTENSIS AD MOENIUM

PROCERIBUS
SPECTATISSIMIS

DN. PRÆTORI,
DNN. CONSULIBUS,
DNN. SCABINIS,
DNN. SYNDICIS,
DNN. SENATORIBUS,

PATRONIS AC FAUTORIBUS
OBSERVANTISSIME COLENDIS.

D. D. D.

VIRI ILLUSTRÉS, GENEROSISSIMI,
CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI,

unt Cause sat graves, quæ animum impellunt, ut præsentés pagellas ILLUSTRIBUS AC SPLENDIDISSIMIS NOMINIBUS VESTRIS inscribam. Vestra in literas & in Cultores earum propensio; Vestra erga
Cives

3

Cives Patriæ universos & singulos gratiosa benignitas ; Vestrum quod in administranda justitia & commercio civium amplificando collocatis studium, non possunt non mihi, Civi Vestro, incitamento esse, ut aliquod meæ in Vos observantiæ extare cuperem monumentum. Accedit & alia causa mihi veluti propria, Vestra nimirum munificentia, qua ego & frater septennio minores Civitate Francofurtensi donati sumus. Beneficium sane quod

A 3 men-

mentem exposcit omni omnino occasione gratissimam. Non itaque, ut opinor, aegre feretis, VIRI ILLUSTRÉS, quod qualecunque laborum meorum specimen VOBIS consecrare nullus dubitaverim. Id enim hæc mihi scribenti consilium est, ut extet hoc publicum pietatis erga Vos meæ pariter ac grati animi documentum, mihiq; simul Vestrum in me favorem, ea qua par est submissione, expetam. Eget mea Musa Patronis, eget fautoribus, eget

4
get parentibus, supplete, pre-
cor, horum partes, Patres
Patriæ. Quod reliquum est
D. T. O. M. supplex rogo, ut
omnem benedictionum sua-
rum copiam in Vosmet, VIRI
ILLUSTRES, cumulatissime ef-
fundere, Vestrisque indefessis
Curis ac prudentissimis Con-
siliis in Inclytæ Reipublicæ
Francofurtensis incolumita-
tem & augmentum directis,
prosperrimos successus adspi-
rare velit, ut ita Vestra laus
& gloria nomenque perpetuò
maneant, crescat, perennet.
Quod

*Quod si à Clementissimo Nu-
mine impetravero nova in
dies Musæ meæ subnascetur
gaudendi gloriandique ma-
teria. Scribebam in alma A-
cademia Argentoratensi 7^{mo}.
Cal. Julii MDCCXLI.*

VIRI ILLUSTRÉS, DOMINI
PERQUAM GRATIOSI,
ILLUSTRÍUM AC SPLENDIDIS-
SIMORUM NOMINUM VESTRORUM

Cliens atque Cultor perpetuus
JOHANNES CAROLUS WEYLAND.

5

PRÆFATIO.

B. L. S.

Postquam, sustentis examini-
bus solitis, ab inclyta Facultate
juridica almae hujus Universi-
tatis licentia mihi concessa fuit, de quacun-
que in jure materia & quocumque tem-
pore disputandi, ejusmodi eligere tracta-
tionem animum induxi, quæ, ab antiquis
fabulis aliena, in ipsis rerum obtineat ar-
gumentis. Nec à proposito aberrasse mi-
hi videor, si theses quasdam de ANTI-
B CHRE-

CHRESI in medium profero. Novi equidem catervam esse Doctorum, qui de hoc negotio decantatissimo eruditè & satis verbosè commentati sunt, ita, ut cramben centies opiparè copioseque coctam, pro exiguitate penoris mei, tenuiter recoquam. Verum enim vero, cum vix, & ne vix quidem, deprehendatur aliquod juris nostri caput, quod per tot sæcula, quæ tantos aluerunt Jctos, non sit penitus funditusque exploratum, eaque propter actum mihi semper sit agendum, rem nostræ ætati, ubi plus rebus quam personis creditur, maximè convenientem, speciminis loco pertractare præ aliis libuit. Accipe igitur

B. L. hosce qualescunque labores,
eosque æqui bonique
consule.

B. C. D.



B. c. D.

§. I.

ANtichresis est pactum pignoris Contractui adjectum, quo convenit inter debitorem & creditorem, ut, donec pecunia mutuo data solvatur, creditor ex re oppignorata in vicem usurarum fructus percipiat. *L. 11. §. 1. ff. de pign. L. 14. Cod. de Usuris. RAUCHBAR. quest. 20. n. 3. part. 1.* Aliorum etymologias grammaticas pariter ac descriptiones, ex diverso confide-
B 2 randi

randi modo ortas, jam non moror. Ma-
lo enim meum de hoc negotio conceptum
Rauchbarfi vestigiis insistendo, aliorum
censuræ subicere, quam varias opinio-
nes multis examinare ambagibus.

§. II.

Pactum hoc celebratur vel expressis
verbis, *L. 14. § 17. Cod. de Usur.* vel
tacitè, quando scilicet debitor, qui sim-
pliciter pecuniam creditam sine usura-
rum promissione accepit, creditori, lo-
co pignoris, rem fructiferam, absque
fructuum reservatione, offert & tradit.
Hoc enim casu tacitè actum videtur, ut
Creditor in compensationem beneficii re
illa utatur, etiamsi nulla mora debitoris
in solvendo accesserit. *L. 8 ff. in quib.
caus pign. tacit. contr. L. 1. §. 3. ff. de pign.
LAUTERB. Coll. theor. pract. Lib. 13. tit.
7. §. 7.*

§. III.

Quemadmodum itaque Legibus ci-
vili-

vicem usurarum in Antichresi percipiuntur. Ut igitur sciamus, quis modus in horum perceptione sit observandus, distinguendum omnino est inter fructus certos & incertos LAUTERB. *in Comp. Jur. p. m.* 231. Certos fructus appello, qui sunt perpetuò uniformes i. e. qui conveniunt in eodem genere, eademque qualitate & quantitate, ac certam æstimationem habent simulque citra laborem & sumtus percipiuntur, quales sunt e. gr. merces ex locata domo redacta, quidam annui reditus &c. Incertos contra, qui non sunt perpetuò uniformes sed pro diversitate temporis aliarumque circumstantiarum variant, nec certam æstimationem habent & præterea laborem vel industriam sumtusq; hominis requirunt, quales sunt e. gr. poma, fœnum, vinum, oleum vel, uti hós Imperator definit, qui incertum proventum, & incertum pretium habent. *L. 14. 17. & 23. Cod. de Usur.*

§. V.

Obiter de thesauro quæro si in fundo Antichretico creditor aliquem invenerit, an & ipse illum lucretur? & respondeo, quia thesaurus non in fructu. *L. 7. §. 12. ff. sol. matr.* sed donum fortunæ, vel potius Dei est *L. 63. §. 1. ff. de A. R. D. L. un. Cod. de thesaur.* creditor jure inventionis dimidiam retinet partem alteram vero partem debitori, tanquam fundi Domino, restituere tenetur. §. 39. *J. de R. D.*

§. VI.

In Antichresi in qua loco usurarum fructus certi percipiuntur, nulla ratione hi fructus modum legitimarum & licitarum usurarum secundum Jus & Constitutiones Imperii, & pro more cujusque regionis, veluti usuras quincunces, vel semisses excedere debent; namque Antichresis vicem usurarum obtinet, substitutum autem sapit naturam ejus, in cu-
jus

jus locum substitutum est ejusque jure utitur. *arg. q. 2. J. de vulg. subst. vom Hagen in tr. de Usu Usurarum. cap. 11. n. 95.*

§. VII.

Si igitur hic modus excedatur, & creditor plures fructus certos perceperit, non quidem totus contractus corrumpitur, sed tantum quoad excessum in hisce fructibus vitatur, & illud quod excedit, in sortem imputatur, & fit reductio ad legitimum modum usurarum. *L. 20. § 29. ff. de Usur. L. 11. q. 3. in fin. ff. de pign. act. quia utile per inutile non debet vitari. L. 1. q. 5. ff. de verb. obl. prout pluribus tradit vom Hagen cit. tr. cap. 5. n. 37. usque ad n. 41.*

§. VIII.

Alio jure utimur in fructibus incertis, in his enim, propter incertitudinem lucri vel damni, excessus ultra prædictum legitimum modum usurarum non attendi-

tenditur *dd. LL. 14. 17. § 23. Cod. de Usur.*

§. IX.

Palmaria itaque ratio, quæ Antichresin, quoad excessum, ab usuraria pravitate liberat, est *incertitudo*; nulla habita distinctione inter Antichresin expressam & tacitam, quippe cum eadem sit vis & effectus pacti expressi & taciti, *L. 2. ff. de pactis.*

§. X.

Unde cum ob annonæ sterilitatem, vel pretii vilitatem facile contingere possit, ut fructus annui ne quidem compensent creditoris labores & sumtus illorum nomine factos, nedum æquent usurarum modum legitimum ac tum id, quod legitimæ usurarum quantitati deest, non suppleatur; jure meritoque etiam fructus, quamvis illi tempore fertilitatis vel majoris pretii legitimum modum usurarum

C exfu-

exsuperent, creditori cedunt, ita, ut sterilitas vel defectus fructuum vel pretii unius vel alterius anni, compensetur cum fertilitate & excessu fructuum vel pretii alterius anni, *vom Hagen in tr. de Usu Usur. cap. II. n. 134.*

§. XI.

* Scholii loco notasse lubet, esse nonnullos, qui putant, fructus naturales ex hortis & pratis in Antichresi perceptos, quatenus quincunces vel usuras loci legales excedunt, forti semper debere imputari; idque ex his rationibus: quia 1) hi fructus sint certi certamque rusticorum recipiant æstimationem. 2.) In cultura hortorum & pratorum haut magnus requiratur hominum labor. Enim vero primam rationem ipsa satis refutat experientia; quis enim ignorat, hos quoque fructus, tam ratione proventus, quam intuitu pretii, pro diversitate temporis, & quoad pretium quidem, præsertim belli &

¶ (o) ¶

li & pacis, maximopere variare, idque propterea incertissimum nec rusticorum æstimationi, ex ingenio eorum rustico i. e. inconsultissimo ortæ, fidendum esse. Rectissime enim ait Cicero in 5. Verrina: totæ res rusticæ ejusmodi sunt, ut eas non ratio neque labor, sed res incertissimæ, venti tempestatesque moderentur. Quod secundam attinet rationem, illa iterum luculentissimæ adversatur experientiæ. Sane, terram vertere, prata metere & fœnum ficcare sunt labores ardui pariter ac molesti. Deinde etiam Legislatores, quatenus Antichresin ad legitimum usurarum modum restringere noluerunt, non ad labores & sumtus respererunt, sed proventus & pretii incertitudo palmaria causa fuit, qua ipsi moti aliquam hujus pacti concesserunt latitudinem, teste propria ipsorum confessione. *Propter incertum fructuum eventum rescindi placita non possunt*, inquit Imperator PHILIPPUS in L. 17. C. de Usur.

C 2 & in

& in *L. sequenti* 3. rescribit: *Oleo vel quibuscumque fructibus mutuo datis, incerti pretii ratio additamenta usurarum suasit admitti.* Quod & adeo verum est, ut, licet res in Antichresin data (modo creditor illa ita, ut convenit usus sit) plus redigat, si locaretur, quam usurarum legitimarum ratio colligit, tamen hic excessus pro illicito fœnore non reputetur, sed potius res vilius conducta videatur. Sunt propemodum ipsissima verba *notab. L. 14. Cod. de Usur.* Qua de causa cum non tantum verba Legum sint explicita, sed etiam ratio illarum, ex qua mens Legislatoris investigatur, non minus in fructibus naturalibus ex hortis & pratis perceptis, quam aliis procedat, legitime concludo, quod ea, quæ in præcedentibus §§. 8. 9. & 10. dicta sunt, hic quoque locum habeant, ita, ut creditor illos etiam lucretur, quamvis usuras legales aliquo modo excedant.

§. XII.

Nam ratione incertitudinis multa sunt


sunt licita quæ alias in casu certo sunt illicita. Imo hæc incertitudo á conventionibus removet omnem suspicionem doli. Sic enim emptio indaginis, plagis à Venatore positis, jactus retis, & pantheræ, vel aucupii, quamvis nihil ferarum, piscium aut avium captum sit, pro valida habentur, *L. II. §. 18. in fin. ff. de Act. empt. § L. 8. §. 1. ff. de contrb. empt.* cum tamen alias nec emptio nec venditio sine re quæ veneat subsistat. *d. L. 8. pr. ff. de Contrb. empt.* Pari ratione permittitur fœnus nauticum, quod solvitur pro pecunia trajectitia, quæ periculo creditoris trans mare vehitur, *L. 1. ff. de naut. fœn.* ea scilicet lege mutuo data, ut nave reduce cum fœnore reddatur, naufragio autem factò & fors & spes lucri creditori pereat. Ergo quia hic periculum fortis non ad debitorem, uti alias, sed ad creditorem pertinet, usuræ maximæ seu centesimæ permittuntur, i. e. 12. pro centum. *L. 26. §. 1. Cod. de Usur.* Solve-

bantur enim usuræ apud Romanos singulis mensibus, & quidem semper centesima pars, h. e. i. pro centum. GOTHOFR. *ad d. l. 26. §. 1. lit. i.*

§. XIII.

Præter memoratam incertitudinis causam, est & alia æquissima ratio, ob quam in Antichresi fructus pignoris, ultra legitimum usurarum modum percepti, creditori cedunt, nec in sortem imputari debent; Ipsa etenim natura dicitur, ut pro laboribus & impensis, quas creditor in rei oppignoratæ culturam & curam nec non in collectionem fructuum adhibuit & impendit, aliquod commodum in eum redundet, cum secundum naturam sit, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *L. 10. ff. de R. J.* & fructus non intelligantur, nisi deductis impensis, & iusta mercede laborum. *L. 36. §. fin. de Hered. pet. L. 46. ff. de Usur.*

§. XIV.



§. XIV.

Cum itaque ex rationibus antea allegatis creditor antichreticus fructus suos faciat perceptorumque dominus fiat, etiam si sæpe dictum legitimum modum usurarum excedant, consequens est, quod debitor à creditore, fructuum intuitu, nullas rationes exigere possit, siquidem Dominus de re propria rationes reddere non tenetur, cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter, *L. 21. Cod. Mand.* & secundum illud Dictum Christi, cuiuslibet licet, quod vult facere, in rebus propriis, *Math. cap. 20. v. 15.*

§. XV.

Nec desunt fori præjudicia quibus præmissa muniantur. Ita enim responderunt Scabini Lipsienses, quorum Responsum refert ANDREAS SCHEFFER *lib. I. quest. 17.* his verbis: **Es hat NN. ehlichen Einwohnern zu N. ehlich Geld an unterschiedlichen Posten vorgestreckt / und es haben**

ben gedachte Einwohner bemeldtem N. N. esliche Stücke Ackers / mit ihres Erb- und Lehenherrn Gunst / dergestalt verschrieben und eingereumbt / daß er / an statt der Zinsen / solche Acker jährlich zu nutzen und zu gebrauchen Macht haben soll. Ob nun wohl N. N. die eingereumbte Acker jährliches auf ein höhers und mehrers / als man sonst von den ausgeliehenen Gelde an Landüblichen Zinsen haben können / genossen; dieweil er aber dennoch hiergegen berührte Acker durch seine eigene Arbeit beschicken / und von seinem Saamen besen / auch dabeneben die Gefahr des Mißwachses tragen und erwarten müssen / so ist er auch von den erzeugten Früchten und eingenommenen Nutzungen obgedachten Einwohnern Rechnung zu thun / und ihnen davon etwas herauszugeben / oder dertwegen Ihme an der Haupt- Summa seines ausgeliehenen Geldes etwas abziehen zu lassen / nicht schuldig. **B. R. W.**

Simile Responsum adducit CARPZOV in *tr. Crim. part. I. quest. 73. ibi*: So verbleibt es bey dem Contract billich / und es mag

—§§ (o) §§—

mag derselbe / gestalten Sachen nach / weilen N. N. benimbte Acker durch seine eigene Arbeit beschicken lassen / und beneben die Gefahr des Mißwachses tragen und erwarten müssen / pro usurario contractu nicht gehalten zc. werden. B. R. W. Eodem modo etiam pronunciarunt Wittenbergenses, quorum Responsum videsis apud BERLICH. p. 2. d. 170. n. 25.

§. XVI.

Notandum tamen pro limitatione præcedentium , in quibus dixi , quod excessus fructuum ultra legitimum usurarum modum , ob allegatas rationes , non attendatur, non hoc Judaicè de immodico (vitiosum enim est quod nimium omneque nimium vertitur in vitium) sed civiliter, de modico excessu, deductis laboribus & expensis , intelligendum esse, ne fraus fiat Legibus. L. 29. § seqq. ff. de LL. Quis vero Excessus sit modicus quis immodicus de eo, D specie

specie obveniente, cognoscit iudex, circumstantiis probe ponderatis & auditis, prout decet, utrinque probationibus. Non tamen, uti supra §. 7. dixi, si excessus reperiatur immodicus, ob id totus contractus vitiatur, sed fit reductio ad legitimum modum usurarum, GAIL. *lib. 2. obs. 4.* Num vero in Antichresi ubi fructus incerti percipiuntur, sicut in conventionem pecuniæ trajectitiæ, propter identitatem rationis, ad usuras usque centesimas foenerari liceat, hoc loco discutere nolo.

§. XVII.

Quamobrem cum quæstio: An excessus sit modicus an immodicus variis litibus sit obnoxia, admodum solliciti fuerunt Jcti in excogitandis cautelis, quibus creditores contra debitorum querimonias & solutionis diverticula (Ecclesiast. 29. v. 6-9.) in tuto collocarentur. Inter omnes vero quas suppeditant, cum
cel.

74
cel. STRYCKIO *in tr. de Caut. Contr. S. 2. cap. 4. §. 25.* optimam cautelam hanc esse arbitror, videlicet, ut loco contractus pignoratitii substituatur contractus emtionis, & loco pacti antichretici pactum de retrovendendo. Creditor enim hinc fit emtor & per consequens Dominus rei; nam Domini translationem pactum de retrovendendo non impedit; quapropter omnes fructus lucratur nec illos in sortem imputare tenetur, etiamsi legitimum usurarum modum longissime excedant.

§. XVIII.

Novum tamen, supposita cautela antecedentis §. in commodum, nostrum hoc premit negotium, nimirum, quod, si fortè res casu perierit, in contractu pignoratitio periculum maneat debitoris; in contractu vero emtionis, in quem prior jam transmutatus est, periculum sit emtoris, ceu Domini. Cui incom-

D 2 modo

mōdo oborto, occurrendum esse cenſet
 prælaudatus STRYCK *cit. loc. 2. 26.* hac cau-
 telâ, ut ſpeciali pacto conveniatur, quod
 Debitoris, non obſtante translatione Do-
 minii, periculum eſſe debeat, ſequenti
 formula : Wie er dann das Dominium
 ſeines Hauſes hiermit auf 6. Jahr lang auf
 Titium transferire / jedoch mit dem Be-
 ding / daß / wenn durch einige casus for-
 tuitos, ſo ſonder des Titii Schuld ent-
 ſtanden / das Hauß binnen geſetzter Zeit
 ruiniret werden ſolte / er / der Venditor,
 ſolchen Schaden über ſich alleine nehmen
 und nach verfloſſenen Wiederkauffs-
 Jahren / nichts deſto minder das völlige Kauf-
 geld hinwieder erlegen wolte.

§. XIX.

De culpæ præſtatione in pacto anti-
 chretico breviter monendum, quod re-
 gulariter uterque pacifcentium de levi
 teneatur culpa; utriusque enim verſa-
 tur utilitas. *L. 5. 2. 2. ff. Commod. Cui*
 ſecun-

—§§ (o) §§—

secundum retro deducta summariter adjicio, quod si damnum aliquod casu acciderit, illud, & quidem fructuum, ad Creditorem, ipsius rei pignoratæ vero ad Debitorem pertineat, nec quicquam ei creditor refundere teneatur, adeò, ut nec eapropter debitum suum exigere impediatur, nisi inter partes aliter fuerit conventum. *L. 6. & L. 9. C. de pign. act.*

§. XX.

Finitur Antichresis vel cum ipsa principali obligatione, pignoris scilicet, vel durante & salva manente illa. Cum principali obligatione finitur, quocunque modo hæc tollitur & extinguatur juxta communem juris regulam: accessorium sequitur suum principale & liberato principali liberantur etiam accessoria. *L. 43. ff. de solut.* Durante obligatione principali finitur pacto contrario, vel expresso, vel tacito; nihil

D 3

enim

COROLLARIA.

I.

Pactum est promissi acceptatio.

II.

Conventio, Pactum & Pactio sunt synonyma.

III.

Contractus est conventio per se & sua natura actionem producens.

IV.


Stipulationem non esse contractum sed modum valida reddendi pacta alias invalida assererem, nisi obstaret gravis Triboniani auctoritas.

V.

Usuræ omni jure sunt licitæ.

VI.

Fœnus est species usuræ.



P A 6

Co
fynon

Co
natur

Sti
fed m
invali
Tribu

Uff

Fœ

A.

o.

ctio sunt

fe & fua

tractum
cta alias
t gravis